tris mei. rex autem et thronus eius sit innocens. Ac si diceret: Si pro eo quod alter filius meus
consurrexit adversus alterum, in me sit iniquitas, si tamen aliqua esse debet. In te autem o
rex domine nulla sit iniquitas, quia absque culpa es, pro eo quod Absalon Ammon dignum
morte interfecit. Et sic ego absque culpa sum, pro eo quod duo filii mei consurrexerunt
adversum se, et interfectus est alter ab altero; ita et tu absque culpa es, quod Absalon Ammon
dignum morte interfecit. Quae ait: Recordetur rex domini dei sui, et non multipli
centur proximi sanguinis ad ulciscendum. Recordatio hic pro iuramento posi
ta est. Ac si diceret: Recordetur rex promissionis suae, immo iuramenti quo in per dominum
deum suum pollicitus est, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum.
Dixitque mulier: Quare cogitasti huiusmodi rem contra populum dei, et locutus est rex ver
bum illud ut peccet, et non reducat eiectum suum. Ex hoc loco manifestatur quod
supra dictum est: Cessavit rex David exire post Absalon, id est cessavit ut non exiret ab
aliquo et reduceret Absalon. Inquit autem mulier: Et locutus est rex verbum illud ut
peccet, et non reducat eiectum suum. Quod vero ait: Quare cogitasti huiusmodi rem contra populum
dei. Populum dei vocat eundem Absalon, sive eos qui cum illo erant, qui quasi captivi et
eiecti erant, eo quod non reducerentur ad hereditatem dei, ne forte coacti diis a
lienis in terra aliena servirent. Nec vult perire deus animam, sed cogitat retra
ctans ne pereat penitus qui abiectus est. Ac si diceret: Deus peccatores qui a diabolo ca
ptivi detinentur ut ad se convertantur vocat, et tu qui imitari eum debes, cur non eo
magis. Et quando tondebat capillum, semel autem in anno tondebatur. In hebr
ita legitur: Et quando tondebat caput eius, statuto autem tempore tondebatur, quia gravabat
eum caesaries, ponderabat capillos suos cc siclis pondere publico. Non enim
semel in anno ut latini codices habent tondebatur, statuto tempore, id est de
xxx in xxx diebus. Post xl annos Absalon dixit ad regem: Vadam et red
dam vota mea quae vovi domino in hebron. XL agebatur annus ex eo tempore quo Saul
civitatem cum sacerdotibus LXXX v interemit, et idcirco hic idem xl anni ponitur
ut monstretur divinam ultionem super David suscitari, eo quod Ahimelech sacerdotem
fefellerit, et propter eum tot sacerdotum cedes facta fuerit. Cave lector plerosque
mendosos codices in quibus scriptum invenitur post iiii non xl annos. In veracioribus co
dicibus et in hebraica veritate non iiii sed xl anni scribuntur. Si vero quis contentiosus eosdem
iiii annos astruere voluerit ab eo tempore quo Absalon Ammon fratrem suum in
terfecit usque ad illud tempus quo patri dixit: Vadam et revertar et reddam vota mea quae vo
vi domino in hebron, perspicue se errasse, si diligenter perscrutatus fuerit, inve
niet, cum utique Absalon interfecto Ammon in gessur apud Tolmai regem

License: CC-BY-NC – Engelberg, Stiftsbibliothek, Cod. 49, f. f.%2036r – Sancti Hieronymi Hebraicarum Quaestiones
(http://www.e-codices.ch/en/bke/0049/f.%2036r)